



# NOVA POSONIENSIS.

ANNO CHRISTI MDCC XXI.  
DIE XXVI. NOVEMBRIS.



*Venna a. d. 22. Novemb.*

Superiori die Martis, quæ *Eugenii* nomine in fastis notata est, proceres omnes Cellissimo principi *Eugenio*, de nominali hac solemnitate more solito sunt gratulati. Postridie vero, hoc est *Mercurii* die, non tantum aulæ proceres, sed & principum exterorum legati, omnesque alii viri atque feminæ illustres, voluntatem pietatemque suam Imperatrici Augustissimæ, diem nominalem celebranti, votis conceptissimis testabantur. Eadem illa die, *Excellentissimus Comes, Franciscus Sebastianus Thürheim* itineri sese dedit, Posoniumque profectus est, supremi *Commissarii Cæsarei* munere functurus, cumque Legatis statuum Regni Hungariæ ibidem congregatis, de tributis, anno

sequenti pendendis, prout ab Imperatore in mandatis accepit, transacturus.

*Haga Comitum. a. d. 7. Novemb. III. Nonas Novemb. Kurakinus* imperatoris Russorum legatus, in palatio *Mauritii* principis, coenam magnifice instruxit, cui omnes legati exteri, multique alii, in summa apud nos dignitate constituti, adhibiti fuerunt. Vas illud, e quo largissime vinum exceptum fuit a populo, variis inscriptionibus exornatum conspiciebatur. In summo litteræ P. P. sibimet invicem implicatæ eminebant, his adscriptis versibus:

„*Numina Nestoreos, factis, & nomine primo*

„*Concedant annos vivere posse*  
**PETRO.**

Et paullo inferius:

„*Primus, & Imperii prima hic est*  
*petra; monarcham*

„*Ruf-*

„*Russia, nec similem magna, nec  
Orbis habet.*

Sub gemina aquila, quæ insignia referebat Russorum Imperatoris, hæc legabantur.

„*Marte triumpharunt aquila; jam  
pace triumphant,*

„*Quo Mars ante stetit, Pax sedet  
alma loco.*

„*Bis denis gemuit septemtrio turbidus  
annis*

„*Ast latam retulit Pacis Oliua  
diem,*

Sub vase, e quo vinum manabat:

„*Sanguinis iuerunt, jam flumina ne-  
ctaris ibunt,*

„*Marte catenato, Bacchus ad ar-  
ma venit.*

*Alia a. d. 6. Novemb.* Sommelsdyckium, vicarium classis præfectum, e mari mediterraneo, cui aliquamdiu præfederat, propediem cum classe rediturum, aiunt, propterea quod haud satis fuerat instructus ad coercendos castigandosque prædones maritimos, qui Algeria, & Tuni ad diripiendas naues excurrere solent.

*Antverpia, a. d. 2. Novemb.* Robertus Knightius, societatis Austri in Anglia quæstor, qui arctiore in hac arce tenebatur custodia, his diebus clam se a custodibus subduxit, &, quamvis mitterentur, qui e fuga illum retraherent, nusquam tamen gentium potuit deprehendi.

*Petroburgo, a. d. 8. Novemb.* Tabula maris Caspii, quam Schumacherus, qui imperatori Russorum a bibliotheca est, nuper Parisios adtulit, & nomine principis sui, sociis Academiæ scientiarum regiæ tradidit, altera erat, quæ auspiciis imperatoris Russorum confecta fuit. Quamquam enim ante aliquot annos imperatori Russorum a Mathematicis,

qui iussu eius mare Caspium ingressi erant, eiusmodi tabula exhibita fuit, illa tamen minus sibi satisfactum fuisse existimavit, imperator, sed denuo eosdem in loca, vnde redierant, abire iussit, iisque in mandatis dedit, vt littora maris, ripas fluviorum, situs urbium, & omnem adiacentium terrarum faciem, aliaque diligentius explorarent, eaque ordine descripta in tabulam quam accuratissime referrent. Namque suo indignum censebat esse nomine, nisi labor ille quem suis susceperant auspiciis, omnium, vti par esset, expectationi responderet.

Quod ad libros adinet, quos sub rudibus ædificii cuiusdam latuisse, nuper memoratum est, eorum folia vel e gossypio, vel e tenerioribus arborum corticibus confecta videntur, & quemadmodum ex iis, quæ usu aliquantisper attrita sunt, cognosci potest, cæruleo primū quidem glutino tincta fuerunt, cui nigrum deinceps superinductum est. Litteræ albo colore satis eleganter pictæ sunt, & quamvis vna ab altera aliquantulum distet, rectas tamen lineas efficiunt, quæ, quoniam æquis distinctæ sunt intervallis, & nulla prorsus ratione inter se differunt, plerisque dubitandi præbuerunt materiam, vtrum more Europeorum, & Indorum dextrorsum, an vero, vt Hebræi, & Arabes scribere solent, sinistrorsum ductæ fuerint. Inter eos autem, qui rationem & indolem huius linguæ aliquo modo perscrutati sunt, illi in primis omnium optime rem tetigisse videntur, qui aliquibus adducti indiciis, eam cum Calmuchorum lingua, aliorumque magni Mogoris terras incolunt, conuenire hariolantur. Ex antiquis enim rerum, seculo XIII. XIV. & XV. gestarum, monumentis satis patere, adfirmant,

mant, quod Calmuchorum regnum, medium iter duo florentissima regna fuerit, quorum principes, qui post *Gingbiskanium*, & *Tamerlanum* imperium tenuerunt, tantam inter omnes doctrinae laudem consequuti sunt, ut libris Astronomicis & Geographicis, qui ab iis conscripti fuerunt, magnum quoque in Europa statuatur pretium. Praeter hos autem libros, rustici, qui ea loca colunt, aliquot statuas e sylvis, & antiquissimis *Calmuchorum* sepulcris, quibus absconditae erant, in lucem protractas, imperatori Russorum muneri obtulerunt. Ex iis rebus quas in pinacothecam suam reponere constituit, eminet lampas Romanorum, statua ducis Romani, qui equo insidens laurea coronatus est, & alia duo equitum simulacra, in quorum clypeis, quos gestant, insignia conspiciuntur. Duae aliae imagunculae deam quandam, quam Sineses *Poussam*, & Tibetenses *Menippam* vocant, referre videntur. Hanc deam Tartari, Sineses, Siamenses, & Indiam matrem fuisse, existimant, viri cuiusdam, quem sexcentos ante natum Seruatorem annos vixisse, & vaticinandi arte multum valuisse, commemorant. Diversis autem is gaudet nominibus, siquidem a Sinesibus *Fœ*, a Tartaris *Opuskan*, a Siamensibus *Sommona Kodon*, & ab Indis *Boudda* adpellatur. Inter Siamenses praecipua colitur religione, qui etiam annos suos ab illius morte, quae quingentis quatuor, & quadraginta ante Christum natum annis accidit, numerare solent.

Pacis, inter Suecos et Russos, conditiones, quas nuper ob angustiam chartae omnes adponere non potuimus, sequentes sunt:

VII. Ut Russorum Imperator a Suecorum rebus plane abstineat, statumque

regiminis, prout ille nunc in Sueci receptus est, non modo intactum relinquat, sed et modis omnibus tueatur.

VIII. Ut fines utriusque regni, a procuratoribus, quibus ab utraque parte datum fuerit negotium, ex praescripto constituantur.

IX. Livonia, Estonia nec non Oeselia, iis in posterum quoque gaudeant privilegiis, quae ab antiquis obtinuerunt regibus.

X. In sacris, quae hucusque iis in locis flouerunt, nihil immutetur, nec ad amplectendam alienam quisquam adigatur, Russis tamen libertate, templa ubi libuerit, extruendi relicta.

XI. Ut nemini bona sua, dummodo se ea iure possidere probare poterit, negentur.

XII. Ut bona bello durante publicata, seu in fiscum redacta, haereditates ac possessiones quaevis, unicuique, post praestitum *homagium*, restituantur. Liberum vero sit omnibus, qui sacramentum ita dixerint, apud quemcunque principum exterorum, qui vel in societate sunt cum Russis, vel saltem nullas cum eis gerunt inimicitias, militari munere fungi. His autem, qui in obsequium Imperatoris Russici iureiurando se obstringere noluerint, triennium integrum, post pacem publicatam, relinquatur, quo bona sua vendere, ac se, quocunque libuerit, transferre liceat.

XIII. Ut, qui eam Fioniae partem incolunt, quae Suecis reddi debet, nihil amplius tributi, post confirmatas pacis conditiones, Russis pendere cogantur. Arces ac propugnacula Fioniae, uti nunc sunt, Suecis restituantur; sed tormenta aliumque apparatus belli, cum, quem Russi eo transportauerant,

rant, libere secum euehant, admini-  
culis ab ipsis Fionibus suppeditandis.

XIV. Omnes in bello capti, sine pretio,  
vtrinque libertate donentur. Qui ta-  
men ære alieno sunt obstricti, dissol-  
uere illud prius tenebuntur.

XV. Pax hæc ad Poloniæ quoque regem  
pertineat, cum quo tamen deinde,  
Imperatore Russorum adnitente, pa-  
cis condiciones separatas conciliari  
oportebit.

XVI. Vt Suecis futuro tempore, haud  
secus atque aliis gentibus, commer-  
ciorum causa in Russiam, Russis au-  
tem in Sueciam commeari liceat.

XVII. Vt horrea mercibus adseruandis  
destinata, restituantur, nouaque in  
urbibus, quæ vtriusquæ partis im-  
perio parent, ædificentur.

XVIII. Oborto naufragio, vt mutuam  
sibi ferant inuicem opem in littori-  
bus suis, neque merces partis alterius  
in sua littora eiectas detineant sibi que  
vindicent,

XIX. Vt naues gentis vtriusque obui-  
am sibi factæ, eo modo semet salutent,  
vt Danicæ ac Suecicæ facere con-  
sueuerunt.

XX. Vt suos quisque Legatos, sumti-  
bus suis in aula alterius sustentet. Re-  
liqua in posterum.

*Constantinopoli. a. d. 1. Nov.* Ex quo  
tempore Turcas quosdam a Venetis in  
captiuitatem abductos, & ab iis nauem  
Olciniensium cum omnibus, qui eo  
vecti erant, hominibus igne concrema-  
tam audiuius, nihil nisi bellum no-  
bis fuit ante oculos. Turcarum enim  
imperator, violatum fuisse, quærebatur,  
paciis fœdus, & *Emus*, qui Venetorum  
caussa, in hac vrbe agit, nihil quid-  
quam verbis proficiebat apud summum  
militiæ Turcicæ præfectum, qui in sua  
persistebat sententia, & *Preuesam Vonis-*  
*samque*, castella sibi tradi debere, ad-

firmabat, si Veneti euitare cuperent  
bellum, quod aduersus eos nunc pa-  
raretur. *Emus* quidem, rem non sui  
esse arbitrii, respondit, sed a Turca-  
rum imperatore per interpretem moni-  
tus fuit, vt ne diutius tergiuersaretur,  
sed animo tantum expenderet, quid  
factum olim fuerit *Guilleraguesio*, Gal-  
lorum legato, cum magna globorum  
ignitorum vis in Chium ab iis immitte-  
retur insulam, Hac enim ratione facile  
fieri posse, subiiciebat, vt vel igne com-  
bureretur *Emus* in ædibus suis, vel  
tamen captius ad septem turres dedu-  
ceretur. Sed is in potestate se quidem  
jam Imperatoris esse respondit, forti-  
tamen se animo laturum omnia, quæ-  
cunque sibi forte euenerint. Id se tan-  
tum modo rogare imperatorem, vt  
rationem habeat muneris, quo in eius  
vrbe hoc tempore fungeretur. Atque  
ita ab omni iniuria hucusque intactus  
Constantinopoli *Emus* agit, spemque  
sibi factam fuisse, dicit, fore, vt adni-  
tente inprimis imperatore Romano-  
rum pro Venetorum causa, hoc bel-  
lum extinguatur, antequam in flamas  
eruperit.

*Posonii, a. d. 26. Nov.* Posteaquam a. d.  
19. Nou. Excellentissimus Comes a *Thür-*  
*beimb*, ad urbem nostram accessisset,  
sæpe *Inclyti Status* in commune consu-  
luerunt. Rumor manat, nonaginta por-  
tionum millia a Regno postulari, quibus  
præstandis cum impares se *Inclyti Status*  
ac Ordines sentiant, toti iam in eo esse  
dicuntur, vt summam illam, quantum  
eius fieri possit, diminuunt. Hodie *Ex-*  
*celsa Commissio Regia*, in ea æde, quam  
*viridem* vocant, primam instituit con-  
sultationem. Alioquin partes *Michae-*  
*lis Okolistani*, quas in eadem *Commissione*  
obtinet, *Perillustri Thomæ Szirmay* vo-  
luntate Regis indulgentissimi, deman-  
datas esse, certum est.